



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quinam possint dari Procuratores, vel non?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Quartò dubitatur, utrum teneatur quis dare Procuratorem, qui ad iudicem citatus per se comparere non potest: Respondetur ex *c. Querelam 2. h. t.* si iustum non veniendi impedimentum habeat, gravem v. g. infirmitatem, causa tamen gravis & ardua sit, non teneatur constituere Procuratorem, nisi impedimentum perpetuum, aut diuturnum sit, & causa differri non possit, quamvis enim cum suo damno cogi non debeat, ad mittendum Procuratorem citatus, neque tamen etiam huic cum alterius præiudicio subveniri debet; ex quo Capitulo à contrario sensu etiam inferri potest, si vel causa gravis & ardua non sit, neque iusta causa citatum impediatur, quòminus comparere possit, debere eum vel per se, vel per Procuratorem comparere.

§. III.

Quinam possint dari Procuratores, vel non?

EX *c. 1. h. t. in 6.* habetur, quòd regulariter quilibet Procurator dari possit, & idoneus reputetur, ita ut Laicus etiam non quidem ad eligendum, qui actus Capitularis est, nec ad iudicandum, ubi requiritur iurisdictio, sed ad agendum & defendendum in iudicio etiam in causis spiritualibus possit Procurator constitui (cùm in hoc casu solum & nudum ministerium exerceat alterius nomine Laicus, absque eo ut jus aliquod illi comperat, aut titulus) & filius familiaris etiam tam extrajudicialis quàm judicialis Procurator invito etiam Patre constitui possit, prout etiam habetur in *c. Qui generaliter 5. §. Necdum h. t. in 6.*

Prohibentur tamen Procuratores dari ad iudicia, qui sunt minores 25. annis, ut patet ex modò cit. *c. Qui generaliter*. Sed nec Clerici in majoribus constituti praesertim Sacerdotes Procuratores dari possunt, nisi in causis suorum Episcoporum aut Ecclesiarum *c. In nostra 4. h. t.* Religiosi verò, ut Procuratores ad lites constitui possint in casibus suo monasterio utilibus, Superioris sui licentià indigent *Clement. Religiosus 3. h. t. junctà Glossà V. Licentià* nisi pro consorte suo in eadem lite agant, & nisi Prælati sint Monasteriorum. Excommunicati autem prohibentur de jure Canonico esse Procuratores in *c. Intelleximus 7. de iudici. c. Distinguimus 8. de sententia excommunicati. in 6. c. Post cessionem 6. de probat.* præter quos plures adhuc alii excluduntur de jure Civili, ut Procuratores constitui non possint. Vide Auctorem Metho; hic.

IV.

De causis, in quibus constitui possit Procurator, vel non potest.

IN omnibus causis & negotiis adhiberi potest Procurator, in quibus id non reperitur expressè prohibitum. Prohibentur autem constitui Procuratores in causis criminalibus, ubi de pœna capitali, vel alia corporali, quæ major est relegatione, pro crimine imponenda agitur, sive ad defendendum reum absentem, sive ad accusandum constituatur, ne per absentiam rei condemnati, aut accusatoris ad pœnam talionis de jure se inscribentis iudicia reddantur elusoria. *c. Veniens 15. de accusat. junctà Glossà V. Criminalis*, nisi de crimine non agatur criminaliter ad pœnam legalem & publicam, sed civili-